m

, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.

In Fest. Epiph.

com.

sequ.

com.

27 Sabb.

[redacted]

10 / 150 / 15
10

50
50

Eingebunden
und nicht fortt-
gehalten

LEO

Virtutis, Sapientiæ & Meritorum suffragiô
Judicioqué Astrææ,
INTER ASTRA
RELATUS,

Perillustris, olim & Reverendissimus Dominus,

D. M. MARTINUS WĘGRZYNOWICZ,

S. TH. & JURIS UTRIUSQ; DOCTOR & PROFESSOR,
Protonotarius Apostolicus, Ecclesiarum Cathedr: Cracov. Canonicus, Collegiatarum, Kielcensis Custos, Pilecensis Archidiaconus, in Tczyca Præpositus, Peraugusti Capituli Cracov: interea Procurator, Contubernij Philosophorum Provisor,
S. R. M. SECRETARIUS.

Vir de Ecclesia DEI & Academia meritissimus,

Dum

Ad Ædes B. MARIÆ Virginis Assumptæ
in Circulo Cracoviensi.

Mortales ejus Exuviæ, magno Omnium dolore tumularentur.

A

M. FRANCISCO HIERONYMO PLUCINSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore, &c.

Funebri Elogiô
Ad æternam tanti Viri memoriam
DESCRIPTUS.

Anno, quo LEO de Tribu Iuda, ut humanum ab æterna morte redimeret genus, de Virgine nasci dignatus est 1717. die 30. Mensis Aprilis.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Rndissimi Dni Episcopi Cracov. Ducis Severiæ; ac Scholarū Novodvorsc. Typogr.

In Avitum Stemma

PERILLUSTRIS olim & REVERENDISSIMI DOMINI.

Tum LEO terribilis veniens, atq; innuba Virgo
Signis. *Virgilius.*
Illius hic finis fuit, hic tulit exitus illum
Theocritus.



IN terris fortem decorabant Astra LEONEM,
Huic extinxerunt lucida fata decus.
Palladis & Themidis sublatus vindice dextra
Iam terris major, fertur ad astra LEO.

Perilluſtri & Reverendiſsimo Domino,

D. DOMINICO LOCHMAN,

I. V. DOCTORI, Eccleſiarum Cathedralis Cracovień. CANONICO, Parochialis B. MARIÆ Virginis in Circulo Crac. ARCHIPRESBYTERO INFVLATO, Collegiatæ Sandomirienſis DECANO, &c.

Perilluſtri & Admodùm Reverendo Domino,

D. ANDREÆ WĘGRZYNOWICZ,

I. V. DOCTORI, Eccleſiarum Collegiatæ Sandomirienſis CANONICO, Parochialium in Ibramowice & Wyſoćice CVRATO, &c.

Perilluſtri & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. JOANNI EKART,

I. V. DOCTORI & PROFESSORI, Eccleſiarum Collegiatæ Cracov. SS. OO. PRIMICERIO, Parochialium in Koniuſza, & Luborzyca CVRATO, &c.

Perilluſtri, & Admodùm Reverendo Domino,

D. CHRISTOPHORO MICHAELI SWIATECKI,

I. V. DOCTORI, Eccleſiarum Collegiatæ SS. OO. Crac. CANONICO, Parochialium in Tęczynek, & Więcławice CVRATO, DECANO Foraneo Novi Montis.

Vltimæ Voluntatis piè Defuncti

EXECUTORIBUS

E*Ximium ter Coronati Vavelli decus; Vnicum Academicæ Palladis delitium. Craciæ Metropoleos inæſtimabile ornamentum* MARTINVM WĘGRZYNOVIVM *Magnanimi ſub imagine* LEONIS, *majeſtate, prudentia, & rara in rebus agendis dexteritate graviſſimi, fatis communibus, imis terris erepti, & obpræclarefacta; Divinioris judiciò Aſtrææ, inter coruſcantia ſtellatarum ædium Sidera relati, mæſta quæ fecit lineamenta penna; hæc Vobis offert & præſentat. Vltimæ ejus Voluntatis* Præſtites. *Non dubito, Eum etſi ſæva Libithinæ falce extinctum, paratum apud Vos habere locum, cui ſuperſtiti. amantiſſima Veſtra corda, & mentis ſinceræ candorem pridem obtuliſtis. Vidit nitida*

puriorem cryſtallo animum Tuum qui es Tyaratorum gemma Capitum, Magnorum in Orbe Lechico Principum cor & delicium, Divini zeloſiſſime Promotor honoris PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME ARCHIPRESBYTER Cracouienſis, hinc innocuam animam Tuæ perenni commendavit memoriæ, & mortales corporis ſui exuvias, Sponſæ TVÆ Eccleſiæ Archipresbyterali concredidit. Fraterno Tuo perennare voluit in pectore PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE ANDREA WĘGRZYNOWICZ, & quem non tam Sangvinis, quàm eximiarum qualitatum ratione adamavit, hunc honorum, bonorumq; Suorum, & quod maximum, ingentium meritorum natum voluit eſſe hæredem. Divelli à TE etiam poſt fata ſua noluit. PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE M. IOANNES EKART, IVRIS Vtriusq; DOCTOR & PROFESSOR, quem vitæ ſuæ, ac laborum Academicorum, Socium & individuum habuit Comitem, hunc ob inſignem pietatem, illimem conſcientiam, & non fucatum animum, Vltimæ Voluntatis ſuæ voluit eſſe EXECVTOREM. Oſculum Pacis tenerrimi indicium affectus non ſuffecerat MARTINO, Tibi offerre, dum erudito Laureæ IVRIS Vtriusq; ab eo coronabaris ſerto. PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE CHRISTOPHORE MICHAEL SWIATECKI, præcipui dedit Tibi ſigna amoris; cùm Te inter fideliſſimos ultimæ Voluntatis Arbitros connumeravit. Suſcipite extemporaneo calamô ejus Merita & Virtutes in hac pagella exaratas: conatum, & in tantum Virum obſequij gloriam, non Styli, quæ penitus deeſt, ſublimitatem æſtimantes. Et quem unicè adamaſtis, illum poſthumo hoc elogio repræſentatum, non inviti ſpectate. Vivet ille in præſenti animo, & amantiſſimis cordibus Veſtris; qui immortali Vita, vel ideò dignus erat, quod in dimidium Animæ ſuæ tantos Viros elegerit. Atrum verò mærorem hunc, quem ex triſtibus ejus fatis præfertis, albo Cælum Vobis rependat calculô, ad honorum culmina, & Vitæ longioris fauſtitatem. Ita precatur

Perilluſtris & Reverendiſſimæ Dominationis,

Perilluſtrium, & Admodùm Reverendarum Dominationum,

Servus obſequentiſſimus

M. F. H. P. P. D. & Pr. C. M.

L E O

Virtutis, Sapientiæ, & Meritorum
ſuffragiô, judicióq; Aſtrææ,
Inter Aſtra
R E L A T U S.

VAga & vana Sors mortalium,
inter procelloſas vitæ præſentis fluctuans ſyrtes,
fortunatum adipiſcitur Promontorium?
ſi Virtutis & ſapientiæ ſuffulta ope,
Aſtra petit.
Errant & in cautes malorum veniunt incauti Pallinuri,
cùm non ad cœleſtem, curſum ſuum componunt Cynoſuram.
Cum faſtuoſis Mezentijs, Divinos etiam ſolicitis paſſibus
quærere honores! & in illis finales
ſtatuere Obeliſcos!
placidis eſt ſe committere Etheſijs,
quæ ſæpè in furentes degenerant Euros.
Paſſim maximæ dignitates, quos in altum evehunt,
humô allidunt, & deformi infamiæ cinere decolorant.
Imperat modò Syracuſis Dyoniſius,
Mox Corynthi exulat:
& ut ſciat in honoribus ludum tantùm eſſe Fortunæ,
in alieno ſolo ludimagiſtrum agit.
Septies Conſules Marij
Minturnenſium in paludibus latentes, adversùs inſtabilitatem
honorum, ranarum more coaxant.
Ita grande periculum in Culmine dignitatum
metam proponere.
Citò labilis vitæ humanæ dies,
colligendis divitis Cræſi, vel Pigmaleonis opibus impendere,

 & in-

& ingentes propter cumulum auri coacervare curas,
tam non securum est
Vt fragili se committere Cymbæ.
Inconstans Auri Metallum,
frequenter inopinato casu liquescit, & præter spem humanam,
ex oculis omnium evanescit.
Sæpe nihil tenent in manibus suis Viri divitiarum.
Post multos ridentis fortunæ Zephyros,
bellô superati, & suspendiô affecti,
ab ipsis circum gyrantibus ventis deridentur.
Gemmeo pari, Virtuti & Sapientiæ,
Vela Vitæ præsentis committere,
Cælum pro meta ponere
Sola securitas est.
His Ducibus prudentiores Jasones,
peragrato Vitæ molestæ pontô, fortunatas capiunt Insulas,
optato beati vellere.
Habent hoc speciale Virtus & Sapientia, quòd mortales inter Astra referant, & ex hominibus Semideos efficiant.
Inter aurea Cælorum abijsti sidera
Magnanime LEO.
Perillustris olim & Reverendissime Domine,
D. M. MARTINE
WĘGRZYNOWICZ
S. Theologiæ & Iuris Vtriusq; Doctor & Professor,
Canonice Cathedralis Cracoviensis, &c.
Stellatam ut conscenderes sedem,
Diva Themis,
(quam irretorta mentis cultissimæ spectabas palpebrâ)
Tuas Virtutes, Sapientiam, & Merita
in æqua ponderans bilance,
Candidum judiciô suô dedit Calculum.
Tergeminæ Craciæ Vrbis Turres
Te communi luci, & publico visendum exposuere soli,
Vt

Vt ter coronati Vavelli & Gracij ArchiAthænei,
Turris fortiſſima eſſes.
In Principe Lechiæ Vrbe favens Lucina
natales Tibi inſtauravit cunas;
Vt Te futurum Principem Doctorum, Sceptriſq;
Sapientiæ regendis idoneum,
Vel in ipſis infantilibus Orbi demonſtraret cunabulis.
Pietatem,
quæ eſt cæterarum fundamentum & baſis Adamantina Virtutū
cum ipſo lacte ſuxiſti!
Hanc Tibi Patruorum infudit ſpiritus,
Verè Divinus,
cultui Superûm totus mancipatus.
Perilluſtris olim & Admodùm Reverendus Dominus,
D. M. ADALBERTVS
WĘGRZYNOWICZ,
I. V. D. Præpoſitus Stobnicenſis, &c.
Vir in regendo CHRISTI Ovili Vigilantiſſimus,
quomodo Divinum commiſſum Tibi cuſtodires gregem,
normam egregiô præſcripſit exemplô.
Perilluſtris olim & Admodùm Reverendus Dominus,
GABRIEL WĘGRZYNOWICZ,
I. V. Doctor, Protonotarius Apoſtolicus,
Eccleſiarum Tarnovienſis Cuſtos, & Sanctorum Omnium
Cracoviæ Canonicus, Præpoſitus & Officialis Pilznenſis, &c.
In Ethymo ſui Nominis verè Fortitudo DEI.
Vnum ex Cherubinis dixiſſes,
quòd optimè Paradiſum Eccleſiæ DEI cuſtodiret.
Ornandæ Sponſæ, Civitati Sanctæ Hieruſalem,
ut Cæleſti placeret Sponſo,
modum Tibi in laudatiſſimis ſuis Operibus,
ſatis munifica in rem Eccleſiæ manu exaravit.
Gemini Tyndaridæ
inter Religioſas D. FRANCISCI umbras,
præfulgido pietatis & ſapientiæ coruſcantes ſplendore,
 bini

bini in Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia,
Patrui Tui dilectiſſimi;
ut ſacris eorum Veſtigijs ſupernum peteres Olympum,
ſuis laudandis operibus,
calcar Tibi & ſtimulum addidere.

Nobilis ac Spectabilis olim Dominus,

D. ANDREAS WĘGRZYNOWICZ,
Conſul Cracovienſis; Parens Tuus Amantiſſimus,
elegantiſſimorum Regula morum,
Craciæ Vrbis majeſtas,
Iuſtitiæ acerrimus vindex & defenſor,
Mortuus vivere, non deſijt;
in laudatiſsimis duplicis Conjugalis tori pignoribus,
etiam poſt fata, Vitam ſpirans immortalem.
Exanimi Parenti vivum infundis ſpiritum,
Divinô plene Spiritu,

Religioſiſſime & Admodùm Reverende in Chriſto Pater,

P. ANTONI WĘGRZYNOWICZ,
in Ordine D. FRANCISCI PP. Reformatorum
Conventûs Cracovienſis Gvardiane digniſſime, &
Pater emeritiſſime.
Illibatus puræ mentis à teneris annis Te circumdat candor,
ut Te libatum in perenne Familiæ D. FRANCISCI decus,
Patrem, & Conventûs CASIMIRIANI Florem referat.
Antonius appellaris;
Menſuram nominis imples:
Egregius à tot annis in Exedris Eccleſiaſticis,
Verbi Divini Præco.
Clamare adversùs Gorgonea vitiorum Capita,
nunquam deſinis, eximie Eccleſiaſtes:
Vocem Tuam ſicut Tubam ſemper attollis,
in ſeptem tubis Capitalia Vitia fugantibus.
Has Typographico prælô exarare voluiſti,
ut renaſcentes continuò peccatorum Hydras, Sanctior Alcides
ad patentes cæci Erebi fauces ſemper propelleres.

Cælo

Cælos ſuavi modulamine exhilarâſti,
cùm dulce melos cum liliato CASIMIRO MARIÆ cecinisti.
Noviſsimorum immemorem mundum eſſe noluiſti,
cui quatuor Noviſsima erudititſsimis ſermonibus explicuiſti.
Idiotam ſed doctiſſimum quis Te non diceret?
in Alphabeto Mariano,
mox ex his compoſito Syllabo, & Auguſtiſſimo Cæſari
dicato, Chriſtianum erudientem Orbem.
Vt diſceret in MARIA eſſe Characterem ſinè macula,
Ex literis & ſyllabis
quas defendendo immaculato Nomini ſcripſiſti,
immenſam laudum Tuarum contexuiſti panegyrim.
Nunquã Sapiẽtiæ Mater, laudabitur ſine Te Filio;
primævam ejus Innocentiam omni defendente argumento.
Noverit Orbis liberales, etſi perforatas
eſſe FRANCISCI manus!
per Te Filium Suum Nuptias Agno Immaculato
inſtaurantis;
tàm diu duraturas, quàm diu doctiſsimæ Conciones
in hac materia ſcriptæ perennabunt.
Antiquis temporibus Subtilem non invidemus Scotum,
in Te ſimilem ei Doctorem contemplamur.
Hunc Subtilis Scholæ Principem adhuc ſuperâſti;
Subtilitati miram claritatem adjungens.
Nihil in Phyſicis, Mathematicis, Theologicisq; & alijs
ad effingendam Superûm Majeſtatem ſpectantibus
Arcanis latet,
quod Tuam eruditiſſimam lateat mentem;
Adeò illa latèpatet.
Cælitùs inſtillatum Tibi Sapientiæ
rorem
Sancta exiſtimat Religio!
Nec dubitat; unde tam ingens Scientiarum lumen acquiſiveris!
Tantas pro illius commodo & Ordine regendo,
ſuſcipiens curas, in duplici Provincialatu;
nec à Scholaſtico unquam deſiſtens labore.
Calamum ſimul & clavum tenens,
in duplici peregrinatione, in Hiſpanias, & Romam ad Capitula

Gene-

Generalia à Provincia tota delegatus,
In infirmitate corporis, sanus esse videris,
etiam in debilitate, summis laboribus non fractus, non lassatus.
In his illustribus Reformatæ FRANCISCI Religionis umbris,
præclaro Vitæ exemplaris, & insignis Pietatis
splendet lumine,
bene facere assvetus
Religiosus Frater,
BONIFACIUS WĘGRZYNOWICZ.
Ita cultu erga Superos reverentiali lactata,
antiqua WĘGRZYNOWICIORVM DOMVS,
novit idonea,
Doctorum Cathedris, Divorum Aris, & Religiosis Familijs
enutrire Capita,
Vt omnes dignis Subjectis exornaret consessus.
Sacri Ecclesiæ Pilznensis Penates,
Famam, meritaq; magna & hactenus loqvuntur,
Perillustris olim & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. ADALBERTI
WĘGRZYNOWICZ,
Philosophiæ Doctoris,
Ecclesiæ Pilznensis Præpositi & Officialis.
Hic gregem Divinum Pastorali exemplo,
Ecclesiam insigni adornavit decore.
Non unam in se complexus est Gratiam,
JOANNES WĘGRZYNOWICZ,
Certum Domui suæ spondebat ornamentum!
& hoc explevisset!
ni invida Atropos, eum atroci falce
Vratislaviæ è vivorum medio sustulisset.
CATHARINA WĘGRZYNOWICOWA,
Nobili Viro & Craciæ Vrbis præcipuo decori,
ANDREÆ KRAUZ,
Consuli Cracoviensi nupta,
Filium accrescentem JOSEPHVM Romæ nunc studia agentem,
& AN-

& ANDREAM CORSINVM in Stellato Carmeli Antiq. Obſerv.
Vertice, Virtutum lumine conſpicuum genuit.
Pulchra hæc Filiorum germina,
ANDREÆ Conſuli Cracovienſi,
ex florentiſſima Vite Catharina Surgoſowna
Matre enata hactenus ſpectavimus.
Non degenerem ab his pubem,
ſecundus tulit Thalamus Conjugalis
Ex Nobiliſsima Parente ELISABETHA,
Nobilium KRAUZORUM lectiſſima Filiâ.
Nobilis ac Spectabilis Dominus,
STANISLAVS WĘGRZYNOWICZ,
Conſul Cracovienſis, &c.
à Paternis non degener moribus,
Senatum Craciæ Metropoleos conſiliô & Authoritate,
Domum ſuam innata gravitate exornare non deſinit.
Magnorum Virorum in Republica æſtimatio.
Veneratur Te officioſa penna.
Perilluſtris & Admodum Reverende Domine,
ANDREA WĘGRZYNOWICZ
Iuris Vtriuſqꝫ Doctor, Eccleſiarum Collegiatæ
Sandomirienſis Canonice, Parochialium in
Ibramowice & Wyſocice Curate &c.
Cracia Te Pallas honeſtiſſimis literis enutrivit,
& primis præcinxit Laureis!
Roma altioribus excoluit ſcientijs, & Doctoralibus
in Iure Vtroqꝫ circumduxit Coronis,
Vt in Cathedris Doctor, ad Aras Myſtes digniſsimus emineres.
Magni Te honores ultrò ambiunt, & Stalla præſtolantur,
quia à pulchra comitate tua exornari volunt.
Egregia hac Filiorum Corona circumſeptæ ANDREÆ
WĘGRZYNOWICII Domui, primæ in Cracovienſi Metro-
poli Familiæ proximo ſangvinis junctæ fœdere,
Lochmanorum, Krauzorum, Fryznykiero-
C2 rum

rum, Zywiecciorum, Behmorum, Zacherla-
rum, Słowikowsciorum, Krakierorum, Ende-
rorum, Łopacciorum, Częckiewiciorum,
Szafałkowiciorum, Kęntziorum, Jawo-
recciorum, aliorumq;
Non exiguum insignis ornamenti adferunt,
auctoramentum.
Maximum addidisti ex Teipso lumen,
O dolor! O Lacrymæ!
quas Tibi fundimus, Eruditorum olim Maxime,
Leonem in Te Magnanimum,
etiam ex teneris licuit cognoscere ungvibus,
ita majestatem prudentiæ, & prudentiam majestati
immiscuisti.
Sub Aureis Iagellonicæ Minervæ Sceptris
Iuventam Tuam, egregijs excoluisti disciplinis,
eruditorum Rex futurus Animorum,
& Cracij Præses Academi.
Duplici Laurûs Philosophicæ Corymbo,
Te coronatum Stagyritam,
suas Latium evocavit in Oras.
Vt in illo publico Orbis & Sapientiæ amphiteatro,
Tuæ latiùs paterent Virtutes,
& Doctoralibus in Sacra Theologia coronarentur Laureis.
Meruisti hanc eruditorum Virorum Adoream,
in literaria Arena, Athleta gloriosissimus.
Talis apparuisti,
cùm in Romano Sapientiæ Collegio, de Processione Spiritus S.
invicto procederes argumentô.
sub exotico Sole
Theseus fido Pirithoo junctus,
Theosophorum gloriæ maximæ,
M. PAULO WOIEWODZKI,
S. Th. D. & Professori, Collegæ Majori, &c.
Re-

Redux in Patriam,
amica pectora exuberanti gaudio,
Cracias Athænas splendido Sapientiæ jubare replevisti.
Trito laborum Academicorum calle,
ad altiorum dignitatum procedebas subsellia,
optimè gnarus,
quod non venit ex facili lecta Corona jugo.
In Minori Collegio maxima quæq; laudatissimè,
peragens, prudentissimus Stagyrita,
Virtutum, Sapientiæ, & meritorum suffragiô,
ad sublimius Divæ Themidos vocaris Augustal.
Lento progredi visus passu.
ne subitò Magnus appareres.
Multùm sibi gratulabatur Divinior Astræa,
tantum Scientiæ Suæ in MARTINO nacta Cultorem.
Quod in eruditis Athænei sui docuit Exedris,
hoc in publicis inviolatè observavit,
Commissionum negotijs,
Aureus Iuris Vtriusq; Tripos;
& in Responsis dandis Oraculum quoddam.
Ne Iustitiæ injurius aliquando esse appareret,
æquitatem intimo pectore adamavit,
Iudex toties Surrogatus,
Solum DEUM præ oculis habuit.
Fortunatus Doctor,
cujus rotundo ore, sublimi & gravi verborum Enthusiasmo,
plurimi in ornatissimo Magnorũ Nominũ cõsessu,
intra doctos Cracij Academi lares
renuntiati Doctores.
Coronas, quas de liberali ejus sumpsere manu,
Præsuleis nonnulli jam associavere Tyaris.
Dulcem meliflui Oris ejus Facundiam,
toties Sacræ audivere Cathedræ,
de quibus,
cùm docto sermone Divorum laudes enarrabat,

Sibi

Sibi auream paratissimi apud audientes elogij,
nectebat Coronam.
Suavi affabilitate, morumq; decentium comitate refertus,
Magnorum quoq; Principum, Præsulum, Prælatorum,
corda, in sui amorem & æstimationem,
Vi magnetica pertraxit.
Cui non placeret MARTINVS?
qui ad mentem Tyarati Capitis fuit,
Omnium dotes, & merita, in æqua magni,
judicij bilance, optimè ponderantis.
CELSISSIMI PRINCIPIS,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. CASIMIRI
à Łubna
ŁUBIENSKI,
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DVCIS SEVERIÆ.
Intra amantissimi pectoris sui penetralia,
Martinum receperat quondam,
Vavelli ter Coronati decus, & doctæ mens ipsa Themidis,
Perillustris & Reverendissimus Dominus,
D. PETRVS ORŁOWSKI,
V.I.D. Canonicus Cathedralis Cracoviensis,
Infulatus Tarnoviensis &c.
Consi hujus prudentissimi innixus persuasionibus,
Academica liberali manu dotavit Collegia.
Aquila hæc,
emeritum Cælô cùm inferret Caput,
Astrifero Leoni Węgrzynowio,
& se, & sua custodienda, dispensandaq; commisit.
quem sui honoris Canonici fecit Coadjutorem.
Aureus Vir Martinus,

non tam Votorum, quàm meritorum Suffragiô,
Rectoralibus præficitur Sceptris.
Recepto huic honori, majorem ex se addit dignitatem.
Arduum libera regendi Capita munus,
placida administrans manu,
promovendo communi literarum bono, & avertendo,
cuivis malo,
die nocteq; intensissimus Leo oculatissimus.
Scholam Regni, Filiam Regum,
A. Universitatem Cracoviensem,
splendido circumamictam videre volens apparatu,
pretiosis cooperuit peristromatis.
Theologici & Juridici Lectorij,
eruditi lares,
in publicis clamabunt Actibus,
Martinus hac nos Veste contexit.
Nec munificentiæ liberalissimi Martini hic terminus est!
Sacram Basilicam in Circulo Crac:
Assumptæ in Cælũ Augustissimæ Virginis,
pretiosis auxit ornamentis.
Mettertiæ non immemor Annæ!
in ejus Collegiata Crac: pro erigenda Ecclesiastica,
Exedra,
pro continuando Domus hujus Sacræ marmoreo,
pavimento,
insignem innocentis peculij sui legavit summam.
Summi coram Tribunali DEI,
faventissimum aget Patronum.
D. CANTIUS
Dilectissimam eidem Virginis Dolorosissimæ,
Imaginem,
Majoris in Porta Collegij, gratijs & Miraculis celebrem,
ampliori donavit sacellô:

Veste contexit pretiosiori.
Cubiculum, D. Patriarchæ incolatu,
Sanctificatum,
reddidit majestuosius.
D. CANTIVM ut Sanctorum
inscriberetur Syllabo
auro juvit.
Bibliothecam Collegij Iuridici,
meliori formæ & Ordini restituit; suppellectili auxit
copiosius librariâ.
Docto ANTONIJ Fratris sui sermones
sacri exarati calamô.
Vt ad ampliandam DEI Gloriam,
publicam possint spectare lucem,
ex peculio suo providit suppetias.
Sacram D. FRANCISCI PP. Reformatorum Conventus Crac
turbam pestifera grassante lue,
non minùs clementi, quàm & munifica manu
totô aluit trienniô.
Majora Vis liberalitatis ejus documenta?
CHRISTUS,
quem in depressa pauperum aluit egestate,
nec hactenus alere desinit;
Orbi revelabit Vniverso.
Felix,
quòd innocentem fortunam, de largifluis Superûm
receperit dextris.
Felicior,
quòd acceptam, benè disposuerit,
Testamento condito pacificô.
Mortem non timuit,
imperterritus hic LEO!
Hanc ut oculatus Argus pridem sibi imminere prævidit.
Imparatum Mors non invenit,
ideò

ideò nec in adventu ſuo vidit pavidum.

Feliciſſimus,

Animam, repetita toties Sacra Exomologæſi purgavit, purgatam Chriſtianis munivit Sacramentis, munitam inter frequentem Sacerdotum turbam plenus meritis in Plenilunio Maij Cælis reddidit.

inter amplexus Crucifixi.

Tali, Virtutum, Sapientiæ & Meritorum Suffragiô

LEO hic Magnanimus,

Sidereas ſemper reſpiciens Arces,

Divinioris judiciô Aſtrææ,

inter aurea relatus eſt Aſtra.

Bonum Certamen certavit,

Curſum mortalis Vitæ feliciter conſumavit,

Juſtus Judex,

emerito illius Capiti,

immarceſcibilem reponat æternæ gloriæ

CORONAM.



Lect. 1, Noct. *de* …
fer. *Duæ Miss.* C. …
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart, dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. … ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. … *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. … *Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. … 25. *May.*) … CA. Vesp. … Cap. …

SS. Mart …